



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De delectabili fruitione Dei, 33

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

2. Verum malis quomodo parcis, si es totus & summe justus? An quia bonitas tua est incomprehensibilis, & latet in luce inaccessibili, & quam inhabitas? Vere in altissimo & secretissimo bonitatis tuæ profundo latet fons, unde manat fluvius misericordiæ tuæ. Nam cum totus & summe justus sis, tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus & summe bonus es. Minus namque bonus esses, si nulli malo esses benignus. Melior est enim qui & bonis simul & malis bonus est, quam qui bonis tantum bonus est. Et melior est qui malis & parcendo & puniendo bonus est, quam qui puniendo tantum. Ideo ergo misericors es, quia totus & summe bonus es.

C A P V T XXXIII.

De delectabili fruitione Dei.

I. **O** Immensa bonitas, quæ sic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulentia procedit: influat in me, quæ profluit de te. Parce per clementiam, ne ulciscaris per justitiam. Excita te nunc anima mea, & erige te & totum intellectum tuum, & cogita quantum potes, quantum & quale sit illud bonum, quod Deus est.

2. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt à creatura Creator. Si enim est bona vita creata, quam bona est vita creatrix? Si jucunda
est

est salus facta, quam jucunda est salus, quæ facit omnium salutem? Si amabilis est sapientia in cogitatione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia, quæ omnia fecit & condidit ex nihilo? Denique, si multæ & magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in eo, qui ipsa delectabilia fecit? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, quid illi non erit? Certe quicquid voluerit illi erit, & quid noluerit, non erit. Ibi quippe illi erunt bona animæ & corporis, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

C A P V T XXXIV.

Summum bonum appetendum est.

1. **C**Ur ergo per multa vagaris homuncio, quarendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est. Quid enim amas caro mea? Quid desideras anima mea? Ibi est quicquid amas: Ibi est, ibi est, quicquid amatis, quicquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obistere poterit, erunt similes Angelis Dei; quia seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; potestate utique, non natura.

2. Si longa aut salubris vita: ibi erit sana aternitas & aterna sanitas; quia iusti in perpetuum vivent, & salus iustorum à Domino.

Si